

tur noticia. nomina etiam subter annotari complacuit.
 CROZWINE cum *Rochowe*. LESANE. Meserechs. et
 SitNE. insuper et tribusses eidem *dilectissimo* nostro
 OTTONI. et futuris *babenbergensis* ecclesie episcopis
 tradidimus. Dignum enim iudicauimus. laborantem
 agricolam *edere* de fructibus suis. et quia prefatus
 episcopus. Otto. in destruenda idolatria et conuertenda
 illorum barbarie primus laborauit. uicem laboris
 sui etiam in terris accipiat. et in tributis inde persol-
 uendis. ipse unacum ecclesia sua perpetue recognitio-
 nis signum habeat. ecclesias etiam quas a fundamentis
 extruxit et omni apparatu necessario instruxit: sine
 contradictione sibi et ecclesie sue optineat. Quod ut
 omni tempore inconuulsum permaneat precipimus. et
 sigilli nostri attestacione roboramus. Quisquis autem
 huius edicti uiolator exstiterit. centum *libras* auri. me-
 dietatem ecclesie *babenbergensi*. et medietatem fisco
 appendat. Huius autem rei testes sunt. Archiepiscopi.
 Adelbertus *moguntinensis*. Bruno *coloniensis*. Cunra-
 dus *magdeburgensis*. Episcopi. Bucco *Wormaciensis*.
 Gebhardus *Spirensis*. Gebhardus *argentinensis*. Em-
 bricho *Wirziburgensis*. Cunradus *Marchio*. Ludewicus
langraue. Burchardus *comes*. Egeno *comes*. Nobiles
 Bernhardus. Sigebodo. Ludolfus. et alii quam plurimi.
 SIGNUM. LOTHARII. ROMANORUM. IMPERATORIS.
 INUICTISSIMI. (Loc. mon.)

(L. S.)

EGO. EKKEHARDUS. UICE. ADELBERTI. ARCHI-
 CANCELLARII RECOGNOUI. DATA. ANNO. INCAR-
 NATIONIS. DOMINICE M.C.XXX^o VI^o. INDICTIONE.
 XIII^o. ANNO REGNI LOTHARII. III. VNDECIMO
 IMPERII TERCIO.

Actum Wirziburg feliciter. XVII. Kalendas
 SEPTEMBRIS.